

Quest'opera di proprietà del sito Monastero Virtuale
è soggetta alla licenza Creative Commons

"Attribuzione-NonOpereDerivate 4.0 Internazionale"
<https://creativecommons.org/licenses/by-nd/4.0/legalcode.it>



This work is owned by the Monastero Virtuale site
and is subject to the Creative Commons license
"Attribution-NoDerivates International (CC BY-ND 4.0)"
<https://creativecommons.org/licenses/by-nd/4.0/>

GUILLELMI ABBATIS SANCTI THEODERICI

TRACTATUS

DE NATURA ET DIGNITATE AMORIS

CAPUT PRIMUM. *Amorem homini naturaliter inditum, carnis vitio corruptum degenerasse.*

1. Ars est artium ars amoris, cujus magisterium ipsa sibi retinuit natura, et Deus auctor naturae. Ipse enim amor a Creatore inditus, nisi naturalis ejus ingenuitas adulterinis aliquibus affectibus praepedita fuerit; ipse, inquam, se docet, sed docibiles sui, docibiles Dei (Joan. VI, 45). Est quippe amor vis animae naturali quodam pondere ferens eam in locum vel finem suum. Omnis enim creatura sive spiritualis, sive corporea, et certum habet locum quo naturaliter fertur, et naturale quoddam pondus quo fertur. Pondus enim, ut ait quidam vere philosophus, non semper fert ad ima: ignem sursum, aquam deorsum, sic et de caeteris. Nam et hominem agit pondus suum, naturaliter spiritum ferens sursum, corpus deorsum, unumquodque in locum vel finem suum. Quis enim corporis locus? *Terra*, inquit, *es, in terram ibis* (Gen. III, 19). De spiritu vero in libro Sapientiae: *Et revertetur*, inquit, *spiritus ad eum qui creavit eum* (Eccle. XII, 7). Vide hominem dissolutum, quomodo totus pondere suo fertur in locum suum: cum res bene et ordine suo procedit, spiritus redit ad Deum,

qui creavit eum; corpus ad terram, nec in terram solum, sed in elementa, ex quibus compactum et formatum erat. Cum enim quiddam in eo terra, quiddam aqua, et quiddam aer sibi vindicet; cum naturalis compactionis naturalis sit dissolutio, pondere suo unumquodque recurrit ad suum elementum: et tunc plena facta est dissolutio, cum horum omnium in locum suum facta fuerit restitutio. Quae utrum corruptio, vel putredo, et non potius, ut dictum est, resolutio melius vocanda sit, iudicet qui vult. Et cum horum nihil a naturae suae tramite aberret; sola misera anima et degener spiritus, cum per se naturaliter eo tendat, peccati vitio corrupta nescit, vel difficile discit ad suum redire principium. Naturali quidem pondere suo semper eo impellitur: cum beatitudinem desiderat, beatitudinem somniat, non nisi beatus esse quaerit. Beatus autem ille, et non alius, cuius est Dominus Deus ejus (Psal, CXLIII, 15). Sed beatitudinem quaerens non in regione sua, nec in via sua, longe aberrat a naturali intentione sua. Ideoque amissa doctrina sua naturali, opus jam habet doctore homine, qui de beatitudine, quae naturaliter quaeritur amando, doceat: admonendo ubi, et quo, in qua regione, qua via quaeratur.

2. Amor ergo, ut dictum est, ab auctore naturae naturaliter est animae humanae inditus: sed postquam legem Dei amisit, ab homine est docendus. Non est autem docendus, ut sit tanquam qui non sit; sed ut purgetur, et quomodo purgetur; et ut proficiat, et quomodo proficiat; ut solidetur, et quomodo solidetur, docendus est. Nam et foedus amor carnalis foeditatis suae olim habuit magistros, in eo quo corrupti erant et corrumpebant tam perspicaces, tam efficaces, ut ab ipsius foeditatis amatoribus et sociis, doctor artis amatoriae recantare cogeretur, quod intemperantius cantaverat; et de amoris scribere remedio, qui de amoris carnalis scripserat incendio: qui in amoris incentiva vel vetera quasi per quemdam pruritus exsecranda, vel in nova invenienda toto se effuderat ingenio. Non utique amoris carnalis fervorem videbatur ille docere, qui tam in docendis, quam in eo qui docebat, sine quovis rationis temperamento naturali quodam igne aestuabat: sed naturalem ejus vim indisciplinatis quibusdam disciplinis in quamdam erudiebat lasciviam, et supervacuis quibusdam fomentis luxuriae in quamdam perurgebat insaniam. In illis enim pravis et nequam hominibus ex superfluenti carnalis concupiscentiae vitio, totus deperierat ordo naturae. Quippe cum debito naturae ordine, spiritus eorum naturali pondere suo, amore suo sursum ferri deberet ad Deum qui creavit eum; carnis humiliatus illecebris, non intellexit, et comparatus jumentis insipientibus similis factus est illis (Psal. XLVIII, 13, 21), factique sunt de quibus diceretur, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (Gen. VI, 3): in quorum persona, *Factum est, inquit, cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei* (Psal. XXI, 15). In angusta quippe corporis parte cor locatum (ubi quasi medium, superiorum sensuum arcem, et corporis inferioris, sicut populi humilioris quasi quamdam reget et dispensaret rempublicam, totamque circumquaque cogitatum et actionum regionem) ad concupiscentiae carnalis ignem degenerare quadam mollitie liquescens, totum defluxit in ventrem, et in medium ventris; videlicet non sapiens nisi ea quae ventris sunt, et de ventre in ventris inferiora, omnia confundens, omnia degenerans, omnia adulterans, amoris naturalem affectum pervertens in brutum quemdam carnis appetitum: non solum quae non licet appetentem cum contumeliis corporis in passionibus ignominiae, sed adeo oblitum suae antiquae generositatis, ut, qui creatus erat Deo soli, a corruptis et corruptoribus suis aestimetur esse potius luxuriae naturale domicilium et vitiorum omnium prostibulum. Infelices, qui in tantum natura reclamante sibi viluerunt, ut animae suae locum, qui proprius Dei creatoris erat, et nulli creaturae communicabilis, sedem satanae, sedem spurcitarum, et omnis immunditiae constituerint.

CAPUT II. *De ortu et progressu amoris.*

3. Acturi igitur de amore, prout dederit ipse cuius amori operis ipsius sudat intentio, primum quasi a primordiis ipsius narrationis seriem inchoantes, quasi per succedentes sibi aetates profectum ejus processum ordiamur, usque ad senectam uberem, quae non est plena senilis doloris, sed plena misericordiae uberis. Sicut enim secundum aetatum incrementum vel decrementum puer mutatur in juvenem, juvenis in virum, vir in senem; secundum qualitatum mutationes, etiam aetatum nomina mutantur: sic secundum virtutum profectum voluntas crescit in amorem, amor in charitatem, charitas in sapientiam. Nec debet latere de amore, de quo agimus, quibus ortus sit natalibus, qua nobilitatis linea insignis habeatur; vel quo oriundus loco. Primum igitur ejus nativitatis locus Deus est. Ibi natus, ibi alitus, ibi profectus; ibi civis est, non advena, sed indigena. A Deo enim solo amor datur, et in ipso permanet, quia nulli nisi ipsi et propter ipsum debetur. Porro si de natalibus ejus agitur; cum Trinitas Deus hominem crearet ad imaginem suam, quamdam in eo formavit Trinitatis similitudinem, in qua et imago Trinitatis creatricis reluceret; et per quam novus ille mundi incola, simili naturaliter ad simile recurrente, principio suo, creatori suo indissolubiliter inhaereret, si vellet; ne multiplici creaturarum varietate illecta, abstracta, distracta, creata illa trinitas inferior a summa et creatricis Trinitatis unitate recederet. Etenim cum in faciem novi hominis spiraculum vitae, spiritualem vim, id est intellectualem, quod sonat spiratio et spiraculum; et vitalem, id est animalem quod sonat nomen vitae, infudit, et infundendo creavit; in ejus quasi quadam arce vim memorialem collocavit, ut Creatoris semper potentiam et bonitatem memoraret: statimque et sine aliquo morae interstitio, memoria de se genuit rationem: et memoria et ratio de se protulerunt voluntatem. Memoria quippe habet et continet quo tendendum sit; ratio, quod tendendum sit: voluntas tendit: et haec tria unum quiddam sunt, sed tres efficaciae; sicut in illa summa Trinitate una est substantia, tres personae: in qua Trinitate sicut Pater est genitor, Filius genitus, et ab utroque Spiritus sanctus; sic ex memoria ratio gignitur, ex memoria et ratione voluntas procedit. Ut ergo Deo inhaereret creata in homine rationalis anima, memoriam sibi vindicat Pater; rationem Filius; voluntatem ab utraque procedentem ab utroque procedens Spiritus sanctus.

4. Ecce quibus orta natalibus voluntas, cuius nativitatis, cuius adoptionis, cuius dignitatis, cuius nobilitatis. Quae cum, praeveniente et cooperante gratia, Spiritui ipsi sancto, qui Patris et Filii amor est et voluntas, bono sui assensu incipit inhaerere; et vehementer incipit velle quod Deus vult, et quod volendum memoria suggerit et ratio: et vehementer volendo amor efficitur. Nihil enim aliud est amor quam vehemens in bono voluntas. Per se enim voluntas simplex est affectus, sic animae rationali inditus, ut sit capax tam boni quam mali: bono replendus, cum adjuvatur a gratia; malo, cum sibi dimissus deficit in semetipso. Ne enim a Creatore aliquid animae deesset humanae, libera in utramvis partem data est ei voluntas: quae, cum adjuvanti concordat gratiae, virtutis accipit profectum et nomen, et amor efficitur: cum sibi dimissa se ipsa secundum se ipsam frui vult, sui in se ipsa patitur defectum; et quot habet vitia, tot vitiorum sortitur nomina, cupiditatis, avaritiae, luxuriae et alia hujusmodi.

5. Primo itaque profectu suo voluntas, quasi in Pythagoricae litterae bivio, libera constituta, si secundum dignitatem naturalium suorum erigitur in amorem, secundum naturalem virtutum suarum ordinem de amore, ut dictum est, in charitatem, de

charitate proficit in sapientiam. Sin autem, nullo ordine sui, justa tamen ordinatione Dei, praecipiti acta ruina, tenebris confusionis obruta sepelitur in inferno vitiorum, nisi a gratia citius ei fuerit subventum. Si vero via inferni relicta, sursum coeperit gressum attollere, et gratiam sequens deducentem et enutrientem, adulta fuerit in amorem; jam in juventutis constituta fortitudine, a spiritu timoris, quo hactenus ut puer timebat poenam, in spiritum pietatis incipit proficere, in eum a quo incipit jam novam gustare gratiam, pie jam incipiens amare Deum et colere, de quo scriptum est: *Pietas est cultus ejus* (Job. XXVIII, 28, juxta LXX). Hic ergo juvenis non aetatis, sed virtutis naturalem fortitudinem exserat et virtutem; nec juventutis (licet a ratione ea vetetur corrumpere) naturalia perdat incentiva. Quibus si insaniunt qui corrumpunt, qui in imagine pertranseunt, quorum spiritus ut spiritus bestiarum vel pecorum, *quorum carnes*, juxta prophetam, *ut carnes sunt asinorum* (Ezech. XXIII, 20): multo magis eos qui in veritate sunt amoris, et spiritualibus ejus aguntur incentivis, in spiritualis juventutis fervore suo licet modo insanire. Gravis enim opprobrii res est in naturam, si plus in deterius proficere possunt ejus corruptores, quam in bonum veri amatores.

CAPUT III. *De sancta quadam amoris insania, in homine vere religioso requisita.*

6. Audi sanctam insaniam: *Sive mente*, inquit Apostolus, *excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis* (II Cor. V, 13). Vis adhuc audire insaniam? *Si dimittis*, inquit, *eis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro quem scripsisti* (Exod. XXXII, 31, 32). Vis aliam? Ipsum audi Apostolum: *Optabam*, inquit, *anathema esse a Christo pro fratribus meis* (Rom. IX, 3). Nonne quaedam mentis bene affectae sana quaedam videtur insania, quod impossibile sit effectu, habere fixum in affectu; pro Christo anathema velle esse a Christo? Haec ad sancti Spiritus adventum apostolorum fuit ebrietas: haec Pauli insania, cum diceret ad eum Festus, *Insanis, Paule* (Act. XXVI, 24). Mirumne erat si insanire pronuntiabatur, qui in ipso mortis periculo ipsos judices suos, a quibus pro Christo judicabatur, ad Christum convertere nitebatur? Non hanc insaniam multae litterae in eo faciebant, sicut dicebat rex veritatem intelligens sed dissimulans, sed, ut dictum est, sancti Spiritus ebrietas, in qua et in parvo et in magno similes eos sibi facere gestiebat qui eum judicabant. Et ut caetera omittam, quae major, quae magis inopinata insania, quam hominem relicto saeculo desiderantem et ardentem inhaerere Christo, pro Christo rursum necessitate obedientiae et charitatis fraternae inhaerere saeculo; tendentem in coelum semetipsum mergere in coenum? Hic est Benjamin adolescentulus, qui in mentis suae excessu (Psal. LXVII, 28) nec se, nec suum aliquid sentit, sed eum solum in quem totus excessit. Hac insania insani erant martyres inter tormenta ridentes. Cur hic non dicam quod in fervore lasciviae suae lascivus poeta dicebat, «Insanire libet?»

7. Hic ergo licet emineat fervor juvenilis, et fervens religionis cursus; qui quamvis adhuc in hoc statu nec habeat nec habere debeat, frenum tamen patitur rationis. Fervorem enim novitiorum non docent illae misericordes in se ipsum discretionem, et discretionum dispensationes, facilesque indulgentiae suo iudicio: non tamen recusandae sunt alieno. A se ipso in se ipsum rigida debet esse censura, et districta severitas: ad regentem autem vel consulentem paternam vel fraternam charitatem et pietatem, lenis et obediens in omnibus humilitas. Si alterum desit: vel in deside et tepido non spero cursus perseverantiam, vel in praecipiti timeo ruinam. Propter quod tota debet esse discretio novitii, stultum se in omnibus pro Christo facere, et ex alieno pendere arbitrio; maxime si seniore talem habet de quo certum est quod a Deo discit quod hominem doceat. Ubi tamen proficienti et obedienti non facile praesumenda

est judicandi licentia, quandiu manifeste nil contra Deum praecipitur, donec longa et patiens experientia intellectum super his dabit auditui. Ad eam vero maxime se semper obedientiam studeat exercere, de qua scriptum est, *Castificantes corda vestra in obedientia charitatis* (I Petr. I, 22): haec est enim Dei voluntas et beneplacens, et perfecta.

8. Ad haec autem obtinenda et conservanda, continua appetenda sunt praesidia sedulae et longanimis orationis: in qua tanta sit fides, ut speret omnia; tanta devotio, ut Deum videatur cogere; tantus amor, ut omnia quae petit, in ipsa oratione se sentiat obtinere; tam benigna humilitas, ut in omnibus non suam, sed Dei voluntatem in se fieri praeoptet. Studeat etiam habere hic talis et amplectatur cordis puritatem, corporis munditiam, silentium, vel verbum ordinatum; oculos stabiles, et non sublimes; aures non prurientes; victum et somnum sobrium, et qui faciat, non impediat boni operis diaetam; manus continentis, gressum mitem: non ridendo cordis prodere lasciviam; sed leniter subridendo, gratiam: meditationes spirituales et assiduas, opportunas lectiones, et non curiosas: ad majores subjectionem, ad seniores reverentiam, ad juniores dilectionem: non desiderare praeesse, amare subesse, omnibus cum quibus est, velle prodesse: non severitate obrui, non lenitate exinaniri: in vultu serenitatem, in corde ad omnes habere dulcedinem, in opere gratiam. Hic etiam locus et tempus est voluptates amputandi, vitia omnia extirpandi, voluntates frangendi: ut caeteris non voluntatibus, sed voluntatum simulacris praecisis et amputatis, sicut adulterinis quibusdam et sponte nascentibus ramusculis, spes proficiendi augeatur naturali et verae voluntati. Illae enim non tam sunt voluntates, quam appetitus animae: concupiscentia scilicet carnalis, concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi (I Joan. II, 16).

CAPUT IV. *De studio et conatu ad profectum seu perfectionem amoris.*

9. Hic qui plus amat, plus currat: hic labor, hic opus est: labor multorum sudorum, opus multorum laborum: maxime cum caecus adhuc amor quod facit faciat, sed nesciat adhuc unde veniat, aut quo vadat: et sic hujusmodi operetur affectibus, sicut caecus manibus, qui manibus quidem operatur, sed nec manus videt quibus operatur, nec opus quod operatur. Sicut enim si videns quis in aliquod opus erudiat non videntem, trahit docendum, curvat, erigit et disponit, in usum quemdam potius quam in artem eum agens suscepti operis: sic per omnia quae supra dicta sunt, caecus amor extrinsecus in quamdam vitae et morum formatur honestatem. Cum vero interioris hominis substantia longo disciplinae usu emollita plene poterit imprimi et informari in eorum formam, tunc fructum pacatissimum operabitur salutis: tunc in re, non specie horum omnium et similium percipiet utilitatem. Quaecumque enim observanda texuimus, nondum sunt in affectu, sed in desiderio et rationis magisterio: et de his omnibus humiliter adhuc cantat ad Deum, *Concupivi desiderare justificationes tuas* (Psal. CXVIII, 20). Sicut tamen dixi de caeco, quamvis adhuc non videat oculus, non cesset operari manus: ut qui proficere vult in magno, fidelis sit in minimo; et in eo in quo ex conditoris largitate jam praerogatum habet jus potestatis, officium exhibeat bonae voluntatis, in corpore scilicet proprio; faciatque quod dicit Apostolus: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem* (Rom. VI, 19): ac si dicat, Cum amor in charitatem transierit, cum anima perfectam suam adepta fuerit puritatem; tunc vobis dicam vel indicam longe aliud quid et divinum Nunc interim accipite istud humanum: ut, sicut in tempore veteris negligentiae et peccati, liberi fuistis justitiae; justitiae in nullo, in

omnibus autem peccato exhibentes membrorum officium, et hoc ad iniquitatem: sic amodo exhibeatis membra vestra servire justitiae in sanctificationem. In quo si fidelis, ut dictum est, apparuerit, incipiet in se ipso experiri quod David dixit: *In nomine tuo levabo manus meas. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (Psal. LXII, 5, 6). Si enim spiritu facta carnis mortificaverit (Rom. VIII, 13), si Deum in opere suo glorificaverit; ex hoc anima adipe gratiae et pinguedine sancti Spiritus repleta, renovari incipit spiritu mentis suae, et induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (Ephes. IV, 23, 24).

10. Ex hoc enim jam rerum facies nova ei incipit apparere; charismata meliora, in quorum aemulatione hactenus laboraverat, familiarius se ei aperire; corpus sanctis humiliatum disciplinis, ex consuetudine jam bona in spontaneum spiritus servitium transire; novi hominis interior facies de die in diem renovari, et usque ad speculanda Dei bona revelari: jam frequentes et improvisae theophaniae, et sanctorum splendores animam continuo laborantem desiderio incipiunt refocillare et illustrare; quia sapientia occurrens in viis hilariter, sicut dicit Job, *Abscondit lumen in manibus, et praecipit ei ut rursus adveniat, et annuntiat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere* (Job. XXXVI, 32, 33). Ex quo jam diu laborans anima, insolitas quasdam et dulces affectiunculas incipit colligere, in quibus tenere requiescit cum adsunt; cruciatur, cum auferuntur, et non redeunt ad votum. Sicut enim ruri enutrita et ruralibus assueta cibariis, cum affectiones has, quas diximus, quasi in primo ingressu aulae regiae coeperit degustare, nonnunquam ignominiose depulsa, violenter expulsa, in domum paupertatis suae, vix ultra [A/. iterum ultro, *mendose*] redire acquiescet: et frequenter ad januam recurrens, importuna, improba, et anxiosa, sicut inops, sicut mendica, sperans, suspirans inspicit, suspicit si quid sibi porrigatur, si quando aperiatur: et aliquando improbitate et importunitate sua sic evincit omnia obstacula et transgreditur, ut usque ad interiorem sapientiae mensam praecipiti transiliens desiderio, impudens, et illico reexpellenda assideat conviva, et audiat, *Comedite, amici; et inebriamini, charissimi* (Cantic. V, 1). Ex hoc jam innascitur sanctae paupertatis amor, latendi studium, odium saecularium distractionum, orationis usus, psalmodia frequens.

CAPUT V. *De periculis et damnis neglectae gratiae, et laudibus verae charitatis.*

11. Sed grave, nisi impediatur, occurrit tentationis impedimentum, quod multorum cursum usque huc prosperum et felicissimum vel graviter retardet, vel retro nonnunquam in quamdam teporis ignaviam reflectat. Quod enim a Patre pio in via accipit ne deficiat, sic incipit habere quasi sufficiat: et hic proficiendi metam constituens, ubi desinit proficere, ibi incipit deficere. Quin etiam conculcans gratiam Dei, et vanam de ipsa contra ipsam sibi fabricans fiduciam, vel in ore, vel in corde jactat se non usquequaque a Deo derelictum, toties sibi iudicium manducans et bibens, quoties visitationis et consolationis a Deo accipit gratiam, et inde non in Domini, sed in voluntatum suarum executionem praesumit fiduciam. *Inimici Domini*, ait Psalmista, *mentiti sunt ei, et erit tempus eorum in saecula. Et cibavit illos ex adipe frumenti, et de petra, melle saturavit eos* (Psal. LXXX, 16, 17). Audi cibatos, et audi inimicos: audi saturatos, et audi mentitos: audi non solum frumentum, sed adipem frumenti: non petram, sed mel de petra, occultam scilicet et divinam sacramentorum gratiam, de qua saturati perhibentur qui inimici convincuntur; quod si non fuissent inimici non tam cito potuissent saturari. Qui enim saturatus est, non plus petit quam accipit, quia plenus est: et quod habet, ei satis est. Hoc est, *post primam illuminationem*, ut ait Apostolus, *post gustum doni coelestis, post*

participationem Spiritus sancti, post gustum nihilominus boni verbi Dei, virtutumque futuri saeculi, voluntarie peccando post acceptam notitiam veritatis, rursum sibimetipsis Filium Dei crucifigere et conculcare, et sanguinem testamenti pollutum ducere, in quo sanctificati sunt, et spiritui gratiae contumeliam facere. Quid enim aliud est Filium Dei sibi crucifigere, quam facere mala, ut veniant bona, confidenter peccare, et cruci Christi quidquid peccant imponere? O si audiant quod sequitur: Terra saepe supervenientem imbrem bibens; et generans herbam opportunam his a quibus colitur, accipit benedictionem a domino: proferens autem spinas et tribulos, reprobata est, et maledictioni proxima: cujus finis est in combustionem. Sed redeamus ad meliora, ut ait ipse Apostolus, et viciniora saluti (Hebr., VI, 4-9 et X, 26, 29).

12. Jam ergo bonae spei juvenis, cujus Deus juventutem incipit laetificare, crescere incipit in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi (Ephes. IV, 13). Jam enim amor incipit confortari et illuminari, et transire in affectum et nomen majoris virtutis, et amplioris dignitatis. Amor quippe illuminatus charitas est; amor a Deo, in Deo, ad Deum charitas est. Charitas autem Deus est: *Deus*, inquit, *charitas* (I Joan. IV, 16). Brevis est laus, sed concludens omnia. Quidquid de Deo potest dici, potest dici et de charitate; sic tamen ut, considerata secundum naturas doni et dantis, in dante nomen sit substantiae, in dato qualitatis; sed per emphasim donum etiam charitatis Deus dicatur, in eo quod super omnes virtutes virtus charitatis Deo cohaereat et assimiletur. De charitate quid dicemus? audivimus famam ejus, non novimus eam, non vidimus eam. Apostolus eam novit, qui, excellentiorem viam eam appellans, in laudem ejus totum se effudit, dicens: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: charitas non aemulatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congraudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria haec: major autem his est charitas* (I Cor. XII, 31; XIII). Hoc est jugum Domini suave, et onus leve: onus quod portantem portat, et levigat; onus leve Evangelii, suave eis, quibus dicit ipse Dominus, *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos* (Joan. XV, 15). Qui enim prius portare non poterat praecepta Legis, postea illi levia sunt praecepta Evangelii per cooperantem gratiam. Qui primum non poterat implere, *Non occides* (I Joan. III, 16), postea leve habet *pro fratribus animam ponere*; et sic de reliquis: sicut cum jumento imponitur onus grave, et refugit quasi importabile, adducitur quadriga volubilis, id est Evangelium, discurrens per totum mundum, et onus quod quasi grave refugiebat primum, postea sine labore trahit duplicatum. Sic avicula quae implumis est et sine alis, se ipsam non potest portare; pondere plumarum et alarum addito, advolat sine labore: sic et panis durus qui per se transire non potest, adjectione lactis vel alterius liquoris colabilis fit in gutture.

13. Amor ergo prius habuit conatum, et aliquem affectum; charitas effectum. Jam enim tanto levius operatur charitatis manus, quanto eam adjuvat illuminatus oculus. Primum quidem operamur per manum, deinde manu tergimus oculum: unde dicit, *A mandatis tuis intellexi* (Psal. CXVIII, 104). Jam enim incipit opera sua intelligere, et affectiones

discernere: jam sic afficitur virtutibus, ut, sicut Deo hoc est esse quod bonum esse, sic jam justae et sanctae animae non aliter sit esse quam sanctae, et juste, et pie esse: sancte in semetipsa, juste ad omnes, pie ad Deum. Ex augmento enim gratiae Dei sic afficit justam animam justus affectus, ut jam in nulla sui parte, vel cogitatum vel affectuum, vel actuum sciat vel possit esse nisi justa, in toto suo, in omni eo quod est justitiae, plene et indissolubiliter affecta. Unde dicit Apostolus: *Charitas nunquam excidit*. Aliquando quidem titubat, vel deviat affectionis vel operis effectus, quamdiu in hac vita non potest videre charitas nisi ex parte et per speculum in aenigmate: sed integer tamen semper et solidus in sua virtute suos permanet affectus.

CAPUT VI. *Amorem conservari, etiam dum homo, quasi invitus, legi carnis et peccati servit.*

14. Aliud quippe est affectus, aliud affectio. Affectus est qui generali quadam potentia et perpetua quadam virtute firma et stabili mentem possidet, quam per gratiam obtinuit. Affectiones vero sunt quas varias variis rerum et temporum affert eventus. Infirmetas enim carnis ex vitio primae originis saepe offendit, saepe cadit, saepe laedit graviter, et laeditur mente interius dolente, et patiente potius quam agente quod perperam foris geritur; nec tamen charitatem perdente, sed ex charitate gemente et clamante ad Deum: *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Unde dicit Apostolus: *Ego, inquit, mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*: Et rursum: *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (Rom. VII, 24, 25, 17). Itaque quisquis ille est, sicut dicit beatus Joannes, secundum hoc quod natus est ex Deo, id est secundum interioris hominis rationem, in tantum non peccat, in quantum peccatum quod corpus mortis foris operatur, odit potius quam approbat, semine spiritualis nativitas, quo ex Deo natus est, eum interius conservante. Quod etsi interim aliquando incursu peccati laeditur et atteritur, radice tamen charitatis in altum defixa non perit: imo statim fecundius et vivacius convalescit in spem boni fructus, et surgit. Sic enim dicit beatus Joannes: *Omnis enim qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet: et non potest peccare, quia ex Deo natus est* (I Joan. III, 9). Notanda vis verborum. *Non*, inquit, *peccatum facit*, quod patitur potius quam facit qui natus est ex Deo: et *non potest peccare*, perseverando scilicet in peccato, dum legi Dei, cui mente servit, etiam carnem festinat subigere, quae tentatione et peccato incurrente, legi peccati videbatur servire. Petrus cum peccavit, charitatem non amisit: quia peccavit potius in veritatem, quam in charitatem, cum ejus se non esse mentitus est in ore, cujus totus erat in corde. Ideoque negationem falsitatis continuo lacrymis lavit veritas charitatis (Matth. XXVI, 69–75). Sic et David cum peccavit (II Reg. XI), charitatem non perdidit, sed obstupuit quodammodo in eo charitas ad vehementem tentationis ictum: et charitatis in eo nequaquam facta est abolitio, sed quasi quaedam soporatio; quae mox ut ad vocem arguentis prophetae evigilavit, continuo in illam ardentissimae charitatis confessionem erupit, *Peccavi Domino*: et continuo audire meruit, *Dominus transtulit a te peccatum tuum; non morieris* (Id. XII, 13).

15. Adhuc in laude charitatis, amor in fide est et spe; charitas in se ipsa est, et per se ipsam. Potest etiam esse ut fides et spes sint sine charitate: ut autem charitas fidem et spem in se non contineat, non potest esse. Fides enim quod amatur esse asserit, spes promittit. Amat igitur qui in fide et spe amat, sicut amari potest quod creditur tantum et speratur: charitas creditum et speratum jam habet, jam tenet, jam complectitur. Amor igitur fidei et spei Deum videre desiderat, quia amat:

charitas quia videt, amat. Ipsa enim est oculus, quo videtur Deus. Habet enim anima etiam sensus suos, habet visum suum vel oculum, qui videt Deum. Sicut enim corpus habet suos quinque sensus, quibus animae conjungitur, vita mediante: sic et anima suos quinque sensus habet, quibus Deo conjungitur, mediante charitate. Unde dicit Apostolus: *Nolite conformari huic saeculo, sed renovamini novitate sensus vestri, ut probetis quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta* (Rom. XII, 2). Hic ostenditur quia per sensus corporis veterascimus, et huic saeculo conformamur: per sensum vero mentis renovamur in agnitionem Dei, in novitatem vitae, secundum voluntatem et beneplacitum Dei. Quinque enim sunt corporis sensus animales vel corporales, quibus anima corpus suum sensificat (ut ab inferiori incipiam): tactus, gustus, odoratus, auditus, visus. Similiter quinque sunt sensus spirituales, quibus charitas vivificat animam: id est, amor carnalis parentum, amor socialis, amor naturalis, amor spiritualis, amor Dei. Per quinque sensus corporis, mediante vita, corpus animae conjungitur: per quinque sensus spirituales, mediante charitate, anima Deo consociatur.

CAPUT VII. *Supradicti amores quinque sensibus comparantur.*

16. Tactui comparatur amor parentum: quia affectus iste promptus omnibus, et quodammodo grossus et palpabilis, sic se omnibus naturali quodam occurso praebet et ingerit, ut effugere eum non possis, etiam si velis. Tactus enim sensus est totus corporalis, qui ex quorumlibet corporum conjunctione conficitur; si tamen unum eorum, aut utrumque vivat, ut tactus esse possit. Sicut enim quoquo te verteris, corpus tuum non potest esse sine tactu: sic nec anima tua sine hoc affectu. Propter quod in Scripturis amor iste non multum commendatur; imo ne sit nimius coercetur, dicente Domino: *Si quis non odit patrem suum aut matrem suam, non potest meus esse discipulus* (Luc. XIV, 26).

17. Secundo, gustui comparatur amor socialis, amor fraternus, amor sanctae et catholicae Ecclesiae, de quo scriptum est: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Quia sicut per gustum vita administratur corporis: sic illi *mandavit Dominus benedictionem et vitam* [al. add. *usque in saeculum*]. Gustus etiam licet corporaliter exerceatur, saporem tamen introrsus generat, quo anima afficitur: propter quod corporalis quidem maxime hic sensus, sed tamen ex parte aliqua etiam animalis esse comprobatur. Sic et amor socialis, quia ex corporali cohabitatione in unum, ex similitudine professionum, ex parilitate studiorum, aliisque hujusmodi causis, confoederatur, mutisque officiis enutritur, maxime animalis esse videtur. Sed tamen ex magna parte et spiritualis est, quia sicut sapor est in gustu, sic affectus fraternae charitatis flagrat [al. *fragrat*] in affectu, de quo scriptum est: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus, sicut vos Hermon qui descendit in montem Sion* (Psal. CXXXII).

18. Tertio, odori comparatur amor naturalis, qui naturaliter ex ipsius naturae similitudine et consortio absque omni spe recompensationis omnem hominem diligit: qui ex occultis naturae recessibus veniens, et animae se ingerens nihil humanum ab eo patitur esse alienum. Sensus autem iste magis animalis esse videtur quam corporalis, id est odoratus, quia ad creandum eum interius corpus nihil agit praeter levem instrumenti sui, id est narium attractum; et licet haustus per corpus, animam tamen afficit, non corpus. Sic et amor naturalis magis spiritualis esse videtur quam animalis; quia, praeter solum connaturalis humanitatis respectum, non consanguinitas, non societas, nec aliqua omnino in eo necessitudo hujusmodi consideratur.

19. Quarto auditui comparatur amor spiritualis, amor inimicorum. Auditus enim nihil interius, id est intra corpus, operatur, sed exterius quodammodo, id est ad aures pulsans, animam evocat ut exeat et audiat. Sic et amorem inimicorum in corde nulla vis naturae, nullus alicujus necessitudinis suscitatur affectus, sed sola obedientia, quae per auditum significatur. Ideoque amor iste spiritualis dicitur. Ideo etiam quia ad Filii Dei similitudinem, et filiorum Dei proficit dignitatem, dicente Domino: *Benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui in coelis est* (Matth. V, 44, 45), et reliqua.

20. Quinto, visui comparatur amor divinus. Visus enim principalis est sensus: sicut inter omnes affectiones principatum obtinet amor divinus. A visu oculorum caeteri sensus videre dicuntur, cum solus videat oculus. Dicimus enim, Tange et vide, gusta et vide, sicque de reliquis: sicque ab amore divino caetera dicuntur amari, quae bene amantur; cum luce clarius constet nil debere amari, nisi propter Deum; nec amari rem quae propter aliud quid amatur, sed id potius propter quod amatur. Unde est: *A quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur* (Ephes. III, 15). Visus vis quaedam est animae mera, et potens, et pura: sic et amor divinus potens est, quia magna operatur; sed est purus, quia, sicut ille ait, nihil inquinatum in eum incurrit (*S. Augustinus, in libris Confessionum et alibi*). Non enim dignatur Deus amari cum aliqua alia re, quae propter ipsum non amatur. Visus item in eminenti corporis arce et insigni capitis loco positus, et secundum ipsius corporis formam infra habet, et ordine, et dignitate, et virtutis potentia omnia caeterorum sensuum instrumenta, ipsosque sensus, quos, ut ita dicam, animaliores, propinquiores; quos vero corporaliores, remotiores. Infimus enim omnium et caeteris ignobilior tactus, licet communis esse videatur totius corporis, tamen proprie manuum est. Sic mens quae caput est animae, et principale ipsius mentis, sedes esse debet amoris Dei, ut sub se habeat et regat et illustret caeteros amores; nec sit in eis quod se abscondat a calore ejus, et lumine ejus: quos quidem spiritualiores, habens propinquiores; quos vero animaliores vel carnaliores, remotiores; cum dilexerimus Dominum nostrum ex toto corde nostro, et ex tota anima nostra, et ex omnibus viribus nostris, et proximum nostrum sicut nos ipsos. Visus, ut diximus, in digniori corporis loco sedem habens, etiam super ipsam animalitatis virtutem aliquid moliri videtur: et mentis vel memoriae, quantum fas est, gestit imitari virtutem, uno horae momento medium coeli pervolans, in uno momenti puncto plurima terrarum stadia transvolans, sic et illuminatus amor Dei, suam in anima christiana sedem obtinens, ad quamdam divinae potentiae similitudinem eam provehit, dum omnem creaturam angustam et brevem, imo nullam videri facit ad comparisonem Dei, dum confidit sua esse omnia quae Patris sunt, dum omnia ei cooperantur in bonum (Rom. VIII, 28), dum sive Paulus, sive Cephas, sive mors sive vita, sive omnia quae sunt, ejus sunt (I Cor. III, 22); et *fidelis viri totus mundus divitiarum est*.

CAPUT VIII. *Ratione et amore fieri hominem ad omnia indifferentem et ad quaevis ardua fortem ac intrepidum.*

21. Visus ergo ad videndum Deum naturale lumen animae, ab auctore naturae creatus, charitas est. Sunt autem duo oculi in hoc visu, ad lumen quod Deus est videndum naturali quadam intentione semper palpitantes, amor et ratio. Cum alter conatur sine altero, non tantum [*al. adeo*] proficit; cum invicem se adjuvant, multum possunt, scilicet cum unus oculus efficiuntur, de quo dicit sponsus in Canticis: *Vulnerasti cor meum, o amica mea, in uno oculorum tuorum* (Cant. IV, 9). In hoc autem plurimum laborant suo unusquisque modo, quod alter eorum, id est ratio, Deum videre non potest

nisi in eo quod non est, amor autem non acquiescit requiescere nisi in eo quod est. Quid est enim quod ratio omni conatu suo possit apprehendere vel invenire, de quo dicere audeat: Hoc est Deus meus? In tantum enim solummodo potest invenire quid est, in quantum invenit quid non est. Habet etiam ratio suos quosdam tramites certos, et directas semitas quibus incedit: amor autem suo defectu plus proficit, sui ignorantia plus apprehendit. Ratio ergo per id quod non est, in id quod est videtur proficere: amor postponens quod non est, in eo quod est gaudet deficere. Inde quippe processit; et naturaliter in suum spirat principium. Ratio majorem habet sobrietatem, amor beatitudinem. Cum tamen, ut dixi, invicem se adjuvant, et ratio docet amorem, et amor illuminat rationem; et ratio cedit in affectum amoris, et amor acquiescit cohiberi terminis rationis; magnum quid possunt. Sed quid est quod possunt? Sicut proficere proficiens in hoc, et hoc discere non potest, nisi experiendo, sic nec communicare potuit inexperto; quia sicut dicitur in Sapientia, *In gaudio ejus non miscebitur extraneus* (Prov. XIV, 10).

22. Ex hoc jam animam suavitate hactenus et deliciis amoris tenere enutritam, sed et nonnunquam paternae pietatis disciplinis attritam: ex hoc jam, inquam, fortis ut mors dilectio pervadit dulci amoris gladio ab amore et affectu saeculi, sic occidens eam funditus et interimens, sicut mors interimit corpus: in tantum ut dici de ea possit, quod de Enoch, scilicet quod non invenitur in saeculi actibus, *quia transtulit eum Deus* (Gen. V, 24). Sed corpus morte sua mortificatur ab omnibus sensibus suis: anima autem morte sua proficit magis, et vivificatur, et roboratur in suis; fortiter, et constanter et prudenter incedens jam in semitis suis, et omnibus gressibus; et quocumque hactenus ignorando, dubitando, et palpando vix audebat tendere pedem boni assensus. Fortitudo enim simplicis, via Domini (Prov. X, 29). A saeculi ergo actibus, et affectibus se mortificat, sicut Paulus apostolus: *Mihi, inquit, mundus crucifixus est, et ego mundo* (Gal. VI, 14). Cum enim alter non curaret de altero, cum suis ligati affectibus, ad se invicem non poterant vel curabant accedere; sibi invicem crucifixi erant Paulus et mundus. Sed tamen, cum Pauli conversatio tota esset in coelis (Philipp. III, 20), non recusabat, quodcumque necessaria erat hominibus in terris: propter quod cum gemitu dicebat, *Cupio dissolvi et esse cum Christo: multo enim melius* (Philipp. I, 23). Et o quam melius est esse cum Christo! Esse enim Christum cum Paulo, sicut et ipse dixit, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* (Matth. XXVIII, 20); sic, inquam, esse Christum cum Paulo, magna Pauli securitas: esse vero Paulum cum Christo, vel hic per contemplationem, vel ibi per beatitudinis praesentiam, beata et gloriosa Pauli felicitas. Caritas ergo Dei sursum eum attollebat: caritas vero proximi infra eum premebat, quasi a collo dependens. Unde sequitur et dicit: *Permanere autem in carne necessarium propter vos* (Philipp. I, 24).

23. Affectus ergo charitatis Deo indissolubiler inhaerens, et de vultu ejus omnia judicia sua colligens, ut agat vel disponat exterius, sicut voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta, dictat ei interius; dulce habet in vultum illum semper intendere; et sicut in libro vitae, leges in eo sibi legere vivendi, et intelligere, illuminare fidem, roborare spem, suscitare charitatem. Jam enim et Spiritus scientiae [a/. Spiritus sanctus] evidenter sanctam docet animam, quid, quomodo sit faciendum: et Spiritus fortitudinis vires, vel virtutes subministrat faciendi; Spiritus consilii disponit. Et cum animae illi vacat Deo inhaerere, Deo efficitur similis per devotionis pietatem, et voluntatis unitatem. Cum vero ad homines et humana redire compellitur, a lege vultus Dei, et exhilaratam faciem in oleo charitatis Dei, tam factis quam dictis, et etiam glorificatione quadam et gratia exterioris hominis

refert ad homines: ipso suo bonitatis quodam habitu, et gratia eam sibi exigit, vel efficit apud eos reverentiam, ut etiam in promptu habeat, in quo voluerit, eorum obedientiam. Nam etsi ex occulto illo ad vitia delinquentium, et corruptos mores errantium, aliquando exiens ex veritate et severitate judiciorum vultus Dei, quasi facies cornuta apparet et terribilis (Exod. XXXIV, 29, 30), ubi visa fuerit a corrigendis secundum insolubilem veritatis legem omnia agi et disponi in pondere, et mensura (Sap. XI, 21): ceditur [*a/.* creditur] charitati; et ira illa charitatis intelligitur disciplina. Ideo rotae in quibus est spiritus vitae, semper eunt in voluntatem Domini perficiendam: nec revertuntur ad faciendam suam. Si jubentur praeesse, praesunt in sollicitudine: si jubentur subesse, in humilitate: si aliquibus coesse, in charitate. Si praelati sunt, sunt sicut patres ad filios: si subjecti, ut filii ad patres suos: si conviventes, omnium servos se faciunt. Pius ad omnes affectus, dulcis in bono consensus: occursus in hilaritate, cohabitatio in gratia, discessus in ostensione charitatis. Ad minores, quovis modo, mitis affectio cum opere: ad patres amor usque ad subjectionem: ad majores reverentia usque ad servitatem. Non quae sua sunt quaerunt, sed quae sunt omnium. Si fieri potest in eis quae sunt adversa, sua saepe faciunt, quae sunt omnium. Et ad haec omnia, quodcumque lex illa summa ordinaverit, facile habent et membra corporis, et bonam voluntatem commodare, cum Spiritus sancti arrham et pignus acceperint, servitatem istam creaturae et membrorum suorum brevi transituram in adoptionem et revelationem filiorum Dei.

CAPUT IX. *Cohabitationem hominum religiosorum, veluti scholam quamdam amoris depingit.*

24. Sed veniamus ad eam quam dicit Apostolus societatem spiritus (Philipp. II, 1), et laudem disciplinae; ad bonum illud et jucundum cohabitationis fraternae in unum; ubi mandat Dominus benedictionem et vitam (Psal. CXXXII, 3), de quo dicit Dominus: *Nolite timere, pusillus grex; quoniam placuit Patri vestro dare vobis regnum* (Luc. XII, 32). Laus ergo hujus disciplinae ab Apostolis sumpsit exordium, qui sicut a Domino didicerant, vel a Spiritu sancto, cujus virtute nuper ex alto fuerant induti, modum convivendi sic sibi instituerunt, ut esset multitudinis cor unum, anima una, et omnia communia, et essent unanimiter semper in templo (Act. II, 44-47; IV, 34, 35). Hanc apostolicae institutionis formam quidam aemulantes, non habent domos, vel diverticula, nisi domum Dei, domum orationis. Omnia quaecumque faciunt, in nomine Domini faciunt; simul habitantes uno ordine, una lege viventes, nihil habentes proprium, nec ipsa corpora sua, nec voluntates in potestate sua habentes. Simul dormiunt, simul surgunt; simul orant, simul psallunt, simul et legunt. Fixum et immobile propositum eorum obedire praepositis suis, et subjacere eis. Ipsi vero pervigilantes pro eis quasi rationem reddituri pro animabus eorum, re ipsa ipsis praedicant, quod in Jeremia populo Israel Godolias legitur praedicasse: *Ego pro vobis respondebo Chaldaeis qui veniunt ad vos. Vos autem colligite frumentum, vinum et oleum in vasis vestris, et habitate in urbibus vestris securi* (Jerem. XL, 10). Risumque cordis sui, et gaudium Isaac quotidie Deo pro eis immolantes, filium liberae, filium repromissionis; reservant et conservant Ismael filium servitutis, cum propter eos fructum negligunt spiritus, et serviendo ipsorum saluti, actibus servitutis eorum omnes postponunt affectus profectuum suorum: ipsis vero perpetuum praedicantes sabbatum, a curis saeculi, a necessitatibus anxietatibus reddunt alienos. Coactis enim in brevi necessitatibus ipsis, parvo vivitur. Vilis in vestibus, sobrietas in victu, et caeteris omnia praefixae legis terminata limitibus, ut nec plus habeat quis quam licet habere, et sufficiat omnibus; nec plus habere libeat, si

habent quod liceat habere.

25. Nunquid non ista est non terrestris, sed coelestis paradisi? Sed in ista paradiso solis praelatis permittitur manducare assidue de ligno scientiae boni et mali; id est, dispensationes administrare discretionis; subditis vero, quorum est obedire, non discernere, si quis illud tetigerit, morte morietur. Omnes omni tempore student oris silentio, invicem cordis loquuntur affectu. Crebris eorum qui praesunt exhortationibus oleum additur camino, licet plus ipsi mutuo se excitent exemplo. Honore et obsequio invicem certatim se praeveniunt (Rom. XII, 10), secundum Apostolum, in provocatione se charitatis invicem provocantes (Hebr. X, 24), invicem suscipientes. Nullum inter se patiuntur esse solitarium, ne dicat ei Salomon: *Vae soli!* (Eccle. IV, 10). Solitarium eum deputant, qui in conscientia sua per confessionem non vult habere socium, vel qui novis et solitariis adinventionibus suis conturbat societatem fratrum. Si quando res exigit, permittitur de rebus animae vel corpori necessariis mite colloquium: sin autem, mitius ubique silentium. Ad studium orationis tanta et tam continua ubique devotio, ut locus orationis omnis, sicut locus divinae dominationis: psalmodum tam pia, tam consona, tam fervens melodia; ut vitae, et morum, et bonorum affectuum, non musicae, sed charitatis regulis melos compositum quadam similitudine consonantiae Deo repraesentare et sacrificare videantur. In communibus pietatis studiis, in quadam etiam vultuum, et corporum, et habituum gratia invicem, in se ipsis bonitatis divinae videntes praesentiam tanto se affectu complectuntur, ut, sicut seraphim, in amorem Dei alter ardeat ex altero (Isa. VI, 3), nec ullo modo satis esse possit deferenti quodcunque alter defert alteri.

26. Haec est specialis charitatis schola, hic ejus studia excoluntur, disputationes agitantur, solutiones non ratiocinationibus tantum, quantum ratione et ipsa rerum veritate et experientia terminantur. Hic qui in proficiendo fassus est, si residet ad sarcinas, quas adhuc de suis et cohabitantium sarcinis et necessitatibus secum trahit, nec morietur, nec retro regredi, nec ultra procedere lege compellitur: et si fideliter residens hic sarcinas custodierit, in triumpho victoriae parum ei erit dissimilis, qui ulterius processerit (I Reg. XXX). Nonne locus est sarcinarum, ubi patimur eos qui per potentiam nos opprimunt, quasi caput nostrum conculcantes, inimicos supra dorsum fabricantibus; filios quasi in medio cordis amplexibus inhaerentes [*a/l. male vulnerantes*]? foris pugnae, intus timores: quotidiana, imo continua omnium sollicitudo. Sed adhuc habet Idithum, quo transiliat; adhuc grandis restat via ascendenti in montem Domini, et ad domum Dei Jacob. Ulterius tamen procedere fas non est cum sarcinis, sed et senectuti sua debetur reverentia. Ex hoc enim jam senectus incipit, sed venerabilis, non annorum, sed virtutum numero computata; spirans sapientiae maturitatem et requiem laborum, quasi emeritae militiae praemium.

27. Suscipiens enim sapientia proficiendi iter perficiendum, charitatem quidem non abjicit, non deserit, sed provehit: sed tantum pertaesum habet, ut dictum est, sarcinas ejus portare, quae aliis jam intendens rebus parare se, et aptare conatur ad intrandum in gaudium Domini sui. Odit ergo curas quascunque, etsi quando aliquos suscipit labores, sed laborum non amat sollicitudines. Vires quidem non deficiunt ad portandum, sed refugit impedimentum. Excitans ergo in hoc proficiendi gradu Dominus, et provocans sanctam animam ad intrandum, ut dictum est, in gaudium suum: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex tota mente tua* (Deut. VI, 5).

CAPUT X. *Gustum et saporem rerum divinarum nobis infundi per Christum.*

28. Quatuor in Deum a nobis et toti exiguntur affectus. In eo quod dicit, *Ex toto corde tuo*, totam sibi vindicat voluntatem: in *tota anima*, totum amorem: in *omnibus viribus*, virtutem designat charitatis: in *tota mente*, fruitionem sapientiae. Primum enim ad Deum voluntas animam movet, amor promovet, charitas contemplatur, sapientia fruitur. Sapientia vero digne in mente constituitur. Quae cum ideo mens dicatur, quod meminit, vel eminent in anima, bene illi adscribitur virtuti, quae super omnes eminent virtutes animae. Est enim mens vis quaedam animae, qua inhaeremus Deo et fruimur: fruitio autem haec in sapore quodam divino est, unde et a sapore sapientia. Sapor autem iste in gustu quodam est. Gustum autem istum digne nemo potest exprimere, nisi qui meretur gustare: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* (Psal. XXXIII, 9). Hoc gustu secundum Apostolum gustatur Dei verbum, gustantur etiam divitiae saeculi venturi (Hebr. VI, 5). Jam ergo de gustu isto, qui saporem habet illum, in quo sapientia sapit, subtilius inquirendum est. Primum dicendum quia licet per gradus ad arcem sapientiae venerit qui ascendit, tamen nisi ubique in omni gradu usque ad ultimum, sapientia (sicut ipsa dicit in libro sui nominis) quaerentes se (quaesisset, et occurrisset in viis, ostendens se hilariter (Sap. VI, 17); nec voluntas movisset, nec amor promovisset; nec charitati contemplatio, nec sapientiae provenisset fruitio. Itaque sicut coeperamus, prosequamur de gustu.

29. Corpus Christi universa est Ecclesia, tam veteris quam novi Testamenti. In hujus corporis capite, id est prima et antiquiori et superiori parte, quae est primitiva Ecclesia, quatuor sunt sensus: visus, auditus, odoratus, et tactus. Oculi sunt Angeli propter contemplationis subtilitatem: aures, Patriarchae propter obedientiae virtutem: nares vel odoratus, Prophetiae, propter absentium notitiam: tactus vero communis est sensus. Omnes hi sensus ante Mediatoris adventum in capite erant, sed languebant inferiori corpore emortuo propter unius sensus absentiam, id est gustus, sine cujus adminiculo nec vivere corpus poterat, nec sensus vim suae vivacitatis obtinere. Quidquid enim ad totius corporis spectat alimentum, cunctis sensibus, universo corpori appone, suppone, circumpone; si solus gustus deerit, quid proderit? Infunde auribus, intrude naribus, vel per quamvis aliam partem; obesse poterit, prodesse non poterit. Gustum autem quaedam sequitur saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari et caeteris sensibus incommunicabili, quae suscipit, cuncta discernit, et dijudicat: seque omnesque sensus vegetat, et confirmat. Gustus ergo in capitis et corporis confinio, id est in gutture positus, velut utrumque connectens, cum designat qui per conditionem carnis paulo minus est minoratus ab Angelis, et Moyse, et Elia caeterisque Patriarchis, et Prophetis. Per exhibitionem patientiae et humilitatis minorem se quodammodo fecit, et humiliorem: cum illi potenti virtute, Dei et suos prosternerent inimicos; ipse vero suos doceret discipulos: *Si quis percusserit te in dexteram maxillam, praebe ei et alteram* (Matth. V, 39).

30. Hic enim post Prophetas veniens et Patriarchas, limes quidam Legis et Gratiae, capitis et corporis, per mysteria humanitatis suae, et passionis, et resurrectionis, quaecunque in lege, et Prophetis, et Psalmis, et hymnis salubria, quaecunque corpori vitalia vel utilia, quasi quoddam ipsius os degustans, id est intelligens, et per se intelligenda corpori trajiciens, homo Christus, interiori quodam divinitatis suae sapore [quo sapientia nobis factus est sapientia Dei Christus (I Cor. I, 30)] sapida ea habet; nobisque facit sapida vel utilia. In se enim vivens, et per se totum corpus vegetans et conformans, gaudium sibi, gaudium angelis facit de consummatione

corporis; gaudium Patriarchis et Prophetis de visione diei suae, sicut ipse dicit, *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum; vidit, et gavisus est* (Joan. VIII, 56): gaudium universo corpori et vitam: ita ut quodam mentis tripudio universali illo tactu spirituali vivificati et confirmati clamemus, *Quod vidimus et audivimus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae* (I Joan. I, 1). Ideoque in omnibus orationibus nostris subjicimus, «Per Christum Dominum nostrum:» vel quia omnes orationes nostras et sacrificia ad Deum Patrem dirigimus per eum, sicut per mediatorem nostrum: vel quia quidquid speramus a Patre luminum, omne datum optimum, et omne donum perfectum (Jac. I, 17), non per aurem, non per nares, sed per ipsum petimus infundi os nostrum, et gustum nostrum, et sapientiam nostram, ut sumenti possit esse proficuum.

31. Hic est gustus, quem in Christo facit nobis spiritus intellectus, intellectus scilicet Scripturarum et sacramentorum Dei. Unde cum post resurrectionem suam Dominus discipulis apparuit: *Tunc, inquit evangelista, aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas* (Luc. XXIV, 45). Cum enim Scripturarum interiorem sensum, et virtutem mysteriorum et sacramentorum Dei coeperimus non solum intelligere, sed etiam quadam, ut ita dicam, experientiae manu palpate et tractate (quod non fit nisi quodam conscientiae sensu, et experientiae disciplina intelligentis, imo, ut plus dicam, intus in semetipsa legentis, et sentientis bonitatem Dei, et virtutem quam potenti bonitate cum efficaci virtute in filiis gratiae, opus ipsius gratiae operatur): tunc demum sapientia quod suum est exsequitur; tunc quos dignos judicat, unctioe sua, docet de omnibus; tunc apposito bonitatis Dei sigillo, omnia nostra pacata unctioe illa et emollita imprimit et conformat; et si qua pura, si qua rigida invenerit, inculcat et infringit; donec laetitia salutaris Dei recepta, et sapientiae spiritu principali confirmata sancta anima, laeta ad Deum decantet, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti laetitiam in corde meo* (Psal. IV, 7). Unde et Dominus: *Haec est, inquit, vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. XVII, 3). Beata scientia, in qua continetur vita aeterna. Vita ista ex illo gustu est, quia gustare, hoc est intelligere. Ex hoc gustu per hunc saporem in hac sapientia minimus ille Apostolorum satiatus, exhilaratus, confirmatus, *Mihi, inquit, minimo omnium sanctorum data est haec gratia, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit: ut innotescat principibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam multiformis sapientiae Dei, secundum praefinitionem saeculorum in Christo Jesu Domino nostro, in quo habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus: et post pauca, Hujus, inquit, rei gratia flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur, ut det nobis secundum divitias gloriae suae virtutem corroborari, per Spiritum ejus in interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere quae sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum* (Ephes. III, 8–18). Libet hic advertere, si forte in sensu apostolicae sapientiae aliquatenus penetrare possimus.

CAPUT XI. Quid Deo debeamus; et de necessitate mediatoris.

32. Contra quatuor Dei debemus duo. Quatuor sunt in Deo, potentia, sapientia, charitas, et veritas vel aeternitas, quod unum est. Nihil enim vere est, nisi quod incommutabile est. Ad quae duobus modis respondere nos convenit. Potentiae quae potest nos punire, et sapientiae, quam nil potest latere, debemus timorem verum; id est, quem non impedit torpor securitatis, vel refugium simulationis. Simulatio est

vel quando fingimus laborem in praecepto, vel quando irrationabilem misericordiam simulamus in Deo. Charitati et veritati debemus amorem verum; id est, quem non impedit tepor affectionis, vel scrupulus suspicionis. Charitati enim quid debetur nisi charitas? Veritas vero charitatis, et charitas veritatis omnem removet scrupulum suspicionis. Suspicionem autem dico, ne non amet charitas, ne decipiat veritas, ne defluat aeternitas. Unde Paulus: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quae sit longitudo, latitudo, sublimitas, et profunditas* (Ephes. III, 18). In sublimitate nota potentiam; in profundo, sapientiam; in latitudine, charitatem; in longitudine, aeternitatem, sive veritatem. Et haec est crux Christi. Et alibi idem apostolus exprimens evidentius summae in nobis sapientiae virtutem, *Propterea, inquit, et ego audiens fidem vestram quae est in Deum, et dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis; ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis in agnitione ejus, illuminans oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus in sanctos, quae divitiae gloriae haereditatis ejus in sanctis, et quae supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiae virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis* (Ephes. I, 15–20).

33. Cum ergo orante Apostolo, et exaudiente Deo, datur nobis spiritus sapientiae, et revelationis in agnitionem ejus, id est ut agnoscamus eum et sapiamus eum, vel sapiat ipse in nobis; cum illuminantur oculi nostri, ut videamus bonum, et bona boni intelligamus, ad quae nos trahit spes vocationis ejus, scilicet divitias gloriae aeternitatis ejus in sanctis; in his omnibus nobis bonitas, vel benignitas apparet illuminantis et vocantis: cum vero ut sequamur vocantem, etiam virtus additur, per ipsam experientiam spiritus sapientiae revelatur nobis, quae, vel quam sit supereminens magnitudo veritatis ejus in nos. Ex hoc igitur, qui sic est, ex gustu divinae contemplationis palato cordis sanato, omnia discernit, omnia dijudicat. In auctore omnium bonorum Christo, primum ei sapit sua ad Deum conversio, deinde peccatorum remissio; postmodum pro ira, cujus filii eramus, gratiarum multiplex augmentatio: et haec omnia non nisi per Dominum nostrum Jesum Christum. Ipse enim est mediator noster, et sapientia nostra, cujus quod stultum est, sapientius est hominibus (I Cor. I, 25).

34. Nam cum talibus bonitas Dei abundaret et offerretur omnibus, nec esset qui reciperet vel sciret recipere, vel recipere doceret, nec qui illuc posset ascendere, ubi bona haec distribuuntur, vel quod huc posset deferre: opus erat mediatore nos inter et Deum, per quem nostra appropinquarent Deo, et bona Dei nobis. Inuit ergo consilium tota Trinitas, consilium illud, de quo Propheta dicit: *Consilium tuum antiquum verum fiat* (Psal. XXXII, sec. LXX). Videbat quippe Dominus quantum ad hominem omnia confusa, omnia turbata; nihil stare in loco suo, nihil procedere ordine suo. Videbat hominem abiisse in regionem dissimilitudinis tam longe, ut per se nec sciret, nec posset redire. Angelus enim praesumpserat similitudinem Dei, dicens: *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (Isa. XIV, 13, 14). Homo similiter Deus esse voluit, cui persuasum erat esse *sicut dii* (Gen. III, 5). Ergone, inquit, Deus Pater, Filius meus, splendor gloriae meae, et figura substantiae meae (Hebr. I, 3), in ipsa mei similitudine tot aemulos habebit, et pares, et socios? Praecipitatus est uterque. Videns imago Dei Deus Filius angelum et hominem, qui facti erant ad ipsam, id est imaginem Dei, per inordinatum imaginis et similitudinis ejus appetitum perisse: Heu! inquit, sola miseria caret invidia; sed subveniendum est ei, cui subvenire non prohibet justitia. Exhibeo me igitur bonum hominem despectum et

novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem (Isa. LIII, 3), ut zelet et imitetur in me humilitatem, per quam perveniat ad gloriam, ad quam praepropere festinat, ut possit audire a me: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (Matth. XI, 29).

CAPUT XII. *Consilium et progressus humanae redemptionis exponitur.*

35. Accingit ergo se quodam modo Dei Filius, et aggressus est per humilitatem recuperare eum, qui recuperari poterat, qui per superbiam perierat. Itaque inter Deum et hominem medium se faciens, qui recedens, a Deo captus et ligatus a diabolo erat, hoc modo boni mediatoris et personam induit et actum. Factus est homo: *Egressa est virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendit: et requievit super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replevit eum spiritus timoris Domini* (Isai. XI, 1-3). Intelligite hic fortissimum scilicet agonothetam nostrum, quasi campum mundi ingressum inungi ad palaestram oleo Spiritus sancti: et exultantem gigantem ad currendam viam dispensationis humanae (Psal. XVIII, 6). Nota vero prophetam a superiori coepisse, et descendisse ad inferiora, quia mediatoris annuntiabat descensum. Nos vero per easdem Spiritus sancti gratias, ejusdem mediatoris Dei et processum operis, et ad superiora investigantes regressum, ab inferioribus, id est a timore, incipimus. Christus ergo ad Patrem timorem habuit, sed justum, sed filialem, per quem in omnibus honori ejus detulit, dicens, *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei qui in coelis est* (Joan. IV, 34): et in Psalmo, *Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (Psal. LXXXV, 11), et caetera multa in hunc modum. Per quem etiam et seipsum videbatur abjicere, humiliare, negligere, ut opus quod per eum fecerat Pater, sed perierat, reparatum et renovatum ei posset reconsignare.

36. Hoc igitur modo ad Patrem mediator noster habuit timorem quasi sursum; ad miserum vero reconciliandum pietatem, quasi deorsum; ad utrumque vero scientiam, sciens quid cuique esset exhibendum. Sed ad implendum ministerium mediationis suae cum Patris bonam haberet voluntatem desursum, a misero autem inferius jacente haberet nihil; et habere aliquid ratio et ordo mediationis requireret, exegit ab eo fidem. Exegit autem fidem, praerogando pietatem. Qua exactione nulla poterat esse validior; quia non fuerat difficile homini misero ei se credere, a quo se praeventum videbat pietate. Sed et cum se ei credere non posset, in quo spem non haberet, (quis enim se ei crederet, in quo spem non haberet?) cum fide etiam spem obtulit, cum spe etiam addens timorem, sine quo spes esse non poterat; ne scilicet desereretur a tam pio mediatore. Accepto itaque mediator a reo suo tanto salutis pignore, ad Patrem regreditur, scilicet cum in montem solus ascendit orare, vel cum factus in agonia prolixius orabat cum sanguineo sudore: *Pater, inquit, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (Joan. XVII, 1). En quid tibi, en quid exhibeam illi. En quid a te habeo, en quid ab illo. Mediator quippe sum, et in salutem ejus jam videntur concurrere mediationis meae rationes. Sed captus est et ligatus. Alligavit eum fortis: et nisi fortior eo supervenerit, non diripiet vasa ejus. Sed mitte manum tuam de alto, et eripiam eum de inimicis ejus fortissimis, in spiritu fortitudinis, fortitudo tua, et virtus tua. Scio enim quid faciam. Moriar innocens pro nocente, et plus poterit incomparabiliter bonitas mea, quam hostilis malitia; poena innocentiae meae, quam poena inobedientiae humanae.

37. *Et clarificavi, inquit Pater, et clarificabo* (Joan. XII, 28). Jam fortissimo

mediatore opus est spiritus consilii: quia si princeps mundi intelligeret, nunquam Dominum gloriae crucifigeret (I Cor. II, 8). Per omnia ergo virtutem ei divinitatis occultans, et solam ei carnis infirmitatem praeferens, per justitiam vitae suae invidiam suscitavit hostilis nequitiae: per infirmitatem suae carnis spem illi contulit victoriae, ad faciendam invidiam accedentibus miraculis, quibus reconciliandi sui fidem in se roborabat. Deceptus antiquus deceptor, poenam peccati, mortem scilicet atrocissimam, ei inflixit, qui nulli peccato erat obnoxius. Occisus justus injuste pro justitia novam de inimico obtinuit justitiam, mortis scilicet injuste sibi illatae. Quam quasi sibi non necessariam, quia absque peccato erat, ipse homini peccatori communicans, reum absolvit per poenam innocentiae suae: positoque corpore suo et sanguine in manu ejus, Hoc, inquit, manduca, et bibe, hinc vive. Patrique eum repraesentans: En, inquit, Pater, mei sanguinis pretium. Si de peccato hujus requiris, en pro eo meus sanguis. Domine Pater, dedisti benignitatem, et terra corporis mei dedit fructum suum: jam justitia ante te ambulabit, et tu pones in via salvationis humanae pedes tuos (Psal. LXXXIV, 13, 14). Et ut juste jam salvetur qui juste perierat, tu, Domine, fecisti directiones, judicium et justitiam in Jacob tu fecisti (Psal. XCVIII, 4).

CAPUT XIII. *De vera sapientia amatorum seu filiorum Dei.*

38. De fructu ergo hujus operis satiatus homo, mediante sapientia Dei, non solum reconciliatur, sed etiam sapiens efficitur. Sapit enim ei quod manducat. Manducat et bibit corpus et sanguinem Redemptoris sui, manna coeleste, panem Angelorum, panem sapientiae: et manducans transformatur in naturam cibi quem manducat. Corpus enim Christi manducare, nihil est aliud quam corpus Christi effici, et templum Spiritus sancti? Templum autem hoc cum ornatum fuerit praescriptarum positione virtutum, et supradicto dedicandi ordine dedicatum, nullos ulterius alienos titulos potest suscipere, nullum habitatorem, nisi Deum qui condidit illum et creavit. Nihil ergo ultra terrenum sancta illa anima, nihil materiale, nihil corruptibile diligit aut curat, ex quo regressa est a loco sarcinarum, etsi aliquo horum aliquando quasi in transitu utitur, sed frui dedignatur. Si quid in hujusmodi prosperum evenerit, pertransit: non conturbatur, si quid adversi contigerit. Totum sapit quidquid capit: nec potest amanti nisi sapere, quidquid sicut salivam contigerit de Christi capite descendere. Quidquid ad corpus spectat, sive bonum, sive malum, foris est: nec potest pertingere ad eum qui intus est. Unde Apostolus in squalore corporis jacens et vinculis, et quantum ad corpus tribulatione coronatus et miseria, scribens discipulis: *Mittam, inquit, ad vos Timotheum, ut sciatis quae circa me sunt* (Philipp. II, 23). *Quae circa me sunt*, inquit: id est, in exteriori homine, in exteriori tunica carnis, quae ad me, qui intus sum, non pertingunt.

39. Haec est sapientia de qua dicit Apostolus, *Sapientiam loquimur inter perfectos*: de qua sic nos loquimur, sicut qui audivimus et non vidimus: sicut loqueremur de aliqua civitate, quam non vidimus, sed plurima de ea audivimus: de qua qui vidisset longe aliter loqueretur, et expressius. Haec autem sapientia oppositam sibi ex adverso aliam habet infausti nominis sapientiam (quam dicit Apostolus *principum hujus mundi* [I Cor. II, 6] sicut nigrum albo, sicut luci tenebras, de qua dicitur, *Sapientia vincit malitiam* (Sap. VII, 30). Malitia siquidem sapor est mali, unde et a sapore sapientia. Cum igitur sapit malum, et non deest astutia, vel voluntas ad exsequendum: sapientia principum hujus mundi per omnia supernae sapientiae est contraria. Haec est enim malitia, quam odit sapientia. Siquidem ibi sapor boni est in seipso, hic sapor mali est in seipso: ibi ad exsequendum praesto est prudentia: hic,

ut dictum est, non deest astutia.

40. Sed inter has duas quaedam media est sapientia, quasi inter nigrum et album medio colore coloratum, quae sive inferius, sive superius, sic se habet ad utramque partem, ut proveniat ei finis secundum intentionem et studium utentis. Sapientia ista est, quam dicit Apostolus *hujus mundi*, et quam mediam locavit inter *sapientiam Dei*, et *sapientiam principum hujus mundi* (I Cor. II, 6, 7). Haec circa utile et honestum tota versatur, et affectata quadam prudentia dispensatur. Haec pene tota est in scientia, videlicet ut sciat discernere prudenter, et dijudicare inter utile et inutile, inter honestum et inhonestum, etiamsi non sit vitae et moribus accommodatum. Scientia enim inflat, charitas aedificat (I Cor. VIII, 1). Aut vero in hujusmodi exquirendis elaborant, ut tantum sciant; quod tantummodo servit curiositati: aut, ut videantur, sive sciantur scire; quod servit vanitati. Et hoc eorum studium tantum potest proficere, et in altum se extollere, quantum potest ratio sine amore.

CAPUT XIV. *Antithesis verae et falsae sapientiae: ubi de virtute et excellentia verae sapientiae.*

41. Siquidem haec philosophia in scientiam rerum humanarum et divinarum dividitur. Quandiu est in humanis, sic interim sibi est. Quando vero ad divina se exaltat, quanto altius ascendit, tanto inferius cadit et impletur in eo, *Quia elevans allisisti me* (Psal. CI, 11). Eo siquidem aliquando conatu naturalis ingenii provehitur, ut, sicut dicit Apostolus, quod notum est Dei, id est quantum de Deo, ratio potest comprehendere, notum sit illis, ita ut in illis, id est intra semetipsos. Deus enim illis revelavit; quia sic eos creavit, ut in seipsis habeant, unde Deum cognoscant. Surgunt enim de ethica sua in quamdam physicam, et invisibilia Dei, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciunt, sempiternam quoque ejus virtutem et divinitatem; ita ut sint inexcusabiles: quia videlicet nolunt ulterius procedere vel proficere cum possint, in veram scilicet theologiam: quia cum cognoverint Deum, non sicut Deum glorificant, aut gratias agunt; sed evanescunt in cogitationibus suis, et obscuratur insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et qui theologiam insipienter perdiderunt, etiam de physica miserabiliter cadunt, cum gloriam mutant incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentum. Propter quod nec in nostra ethica permanere permittuntur, sed tradit illos Deus in desideria cordis ipsorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis: tradit illos in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt (Rom. I, 19, 28). Sed sapientia semper vincit malitiam: quae contubernium habens Dei, novit semper proficere, et nunquam deficere, et attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. VIII, 1); sapienter se agens in divinis, caute in physicis, prudenter in moralibus.

42. Igitur sapiens anima, sicut supra scriptum est, ab omnibus alienis affectibus defaecata, Deum tantummodo sapiens, hominem in homine exuit: Deoque plene et in omnibus affecta, omnem infra Deum creaturam non aliter quam Deus attendit, in luce et virtute sapientiae omnia disponens, et ordinans; sic agens, sic de eis judicans, sicut est, sicut vivit, faciens judicium et justitiam de eo unde est, et unde vivit. Est enim sapientia Dei, sicut ipsa dicit, *Candor lucis aeternae, et speculum sine macula* Dei majestatis (Sap. VII, 26), et emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera, et vapor virtutis ejus. Ideo sapiens anima sicut candorem lucis aeternae intra se gerit, et speculum Dei majestatis; sic cum in creaturam se exponit, exprimit

et exhibet imaginem bonitatis et justitiae Dei: et sicut virtute Dei vaporatur interius, sic claritatis et charitatis Dei emanationem effundit exterius, unde et alibi dicit Salomon, *Sapientia hominis lucet in vultu ejus* (Eccle. VIII, 1); et alibi, *Oculi*, inquit, *sapientis in capite ejus* (Eccle. II, 14); quia non aliunde quam de naturali et interna virtute cerebri sui, id est sapientiae, exterius se effundunt, et a capite non recedunt. Dicit Salomon: *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* (Sap. VI, 26). O felices res humanas, si ubique sapientibus servirent insipientes! Sed et felices res humanas, dicit quidam philosophus, si aut soli sapientes regnarent, aut philosopharentur omnes qui regnant! Sed cum sapienter fugiunt sapientes super insipientes regnare, etiam insipienter fugiunt insipientes sub sapientibus esse: omnia desipiunt, omnia confunduntur, et turbantur. Sapientes latent et delitescunt, pueri regnant et principantur: et fiunt principes qui mane comedunt, et vae terrae illi! (Eccle. X, 16.) Sed ad propositum redeamus.

43. Anima igitur spiritu sapientiae illustrata, quia diligit justitiam et odit iniquitatem, et propterea unxit eam Deus oleo laetitiae, quo unctus est Christus prae participibus suis (Psal. XLIV, 8), et quam perfudit gratia: omnibus placet, et ab omnibus amatur. Ipsi etiam qui ex adverso sunt, videntes hujusmodi, timent et reverentur. Etsi bonum in bono non vult imitari indurata nequitia, dissimulare tamen non potest natura. Inter se autem habent sapientes quamdam privatam gratiam, et quamdam linguam angelicam, qua inter se loquuntur mutuis affectionibus, spirituali quadam gratia, communicantibus in hoc ipsum exterioribus aspectibus: quam linguam nullus novit, nisi Rex Angelorum, et Angeli ejus, et qui sunt in genere Israel, et cives Jerusalem. Nullus eam novit Aegyptius, nullus Chananaeus. Sicut enim in sanctitate vitae et hominis interioris glorificatione, et contemplatione, et fruitione divinitatis jam futurae vitae beatitudinem praelibare in hac vita videntur, et initiari: sic etiam de corporum suorum glorificatione, quam plene ibi percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Excepta etiam illa gratia de qua diximus, qua habitantes in unum seipsis in Deo, et Deo in seipsis fruuntur, ipsius carnis sic sentiunt evanuisse [*a/*. convenisse] omnes contradictiones, ut universa substantia carnis non sit eis nisi instrumentum boni operis. Nam etsi ipsius miseris et infirmitatibus contabescunt, sed ex hoc ipso interiori homine fortius convalescunt: *Quando enim infirmor, tunc fortior sum, et potens*, dicit Apostolus (II Cor. XII, 10). Sensus ipsi novam quamdam percipiunt, et prope spiritualem gratiam: oculi simplices, et aures temperantes. Aliquando in fervore orationis, tanta odoris ignoti cujusdam spirat fragrantia; tanta gustus etiam non gustando suavitas; tantum per mutuuum tactum spiritualis charitatis incentivum, ut videantur sibi intra seipsos spiritualis cujusdam voluptatis gerere paradisum. Vultus etiam et totius corporis compositione, vitae et morum et actuum decore, mutuae etiam servitutis vel devotis exhibitionibus, vel piis susceptionibus, sic cujusdam gratiae beneplacito sibi invicem conveniunt, et cunctantur, ut vere sint cor unum, et anima una. Nimirum futuram corporum suorum gloriam jam hic initiant, ex puritate conscientiae, et mutuae conversationis gratia, perfecte eam habituri in futura et perenni vita.

CAPUT XV. *De felici consummatione sapientiae usque ad assecutionem beati finis, et summi boni.*

44. Sicut enim nunc viventia omnia solis claritate perfunduntur, et ab invicem perfundi videntur et sicut nos invicem hic vivere videmus, nec tamen vitam qua vivimus, videmus: sic in illa vita videbitur Deus a singulis in omnibus, et ab omnibus in singulis: non quod corporalibus oculis videatur divinitas, sed praesentiam

divinitatis glorificatio corporum demonstrabit manifesta quadam sui gratia. Ad hoc etiam in hac vita corporalium sacramentorum valet religio: quia cum vix aliquid nisi corpora et corporalia intelligamus, quandiu in imagine pertransimus, corporalibus religamur sacramentis, ne a Deo recedamus: unde etiam a religando religio dicitur. Cum vero fidelis anima talibus erudita, talibus incipiet non indigere, et a corporalibus transire ad spiritualia, a spiritualibus ad spiritualium et corporalium conditorem, hoc vere erit exire a sarcinis. Relicto ergo corpore et corporeis omnibus curis et impedimentis, omnium quae sunt praeter Deum obliviscitur, nihilque praeter Deum attendens, quasi se solam solumque Deum existimans: *Dilectus*, inquit, *meus mihi, et ego illi* (Cant. II, 16). *Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum* (Psal. LXXII, 25, 26). Deinde venit ad mortem. Hunc enim transitum ad vitam miseri infideles mortem appellant; fideles autem quid, nisi pascha? In morte igitur corporali perfecte moritur mundo, ut perfecte vivat Deo: ingreditur locum tabernaculi admirabilis, ingreditur usque ad domum Dei (Psal. XLI, 5): et omnibus bene et secundum ordinem praecedentibus, sicut in principio diximus, pondus suum unumquodque defert in locum suum; corpus in terram, de qua assumptum est, tempore suo resuscitandum et glorificandum spiritum ad Deum qui creavit eum.

45. Sed quando fit iste transitus ad Deum disruptis omnibus obligamentis, superatisque omnibus impedimentis, perfecta beatitudine, perenni dilectione: ex hoc jam perfecte Deo inhaeret, vel potius unitur vere sancta anima in terra, ut efficiatur una ex illis, quibus dixit: *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes* (Psal. LXXXI, 6). Hic est finis eorum qui proponunt Jerusalem in principio laetitiae suae (Psal. CXXXVI, 6): quos unctio sancti Spiritus docet de omnibus (I Joan. II, 27): qui ascensiones in corde suo sapienter disponunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion (Psal. LXXXIII, 6, 8): Deus deorum, beatitudo beatorum, gaudium bene gaudentium: unum denique bonum, summum omnium bonorum. A fine boni propositi, in principio ascensionis, usque ad finem omnis consummationis, sapientia attingit fortiter, fortitudinem ascendentis ad se custodiens, ne in ascensu deficiat: suaviter disponens omnia (Sap. VIII, 1), et adversa, et prospera, omnia ei in bonum modificans et componens; donec animam ad principium suum reducat, et abscondat in abscondito faciei Dei. Scire autem debet omnis sapiens ascensor, non sic esse gradus hujus ascensionis, quomodo gradus scalae, ut singuli affectus isti suis tantum temporibus, et non alio tempore sint necessarii. Habet quippe unusquisque affectus in ascensus ordine tempus et locum suum, quo cooperantibus aliis affectibus suas valeat partes sollicitius exsequi; sed omnes tamen sibi concurrunt et cooperantur, et praeveniunt, et sequuntur; et saepe fiunt primi novissimi, et novissimi primi.

Quest'opera di proprietà del sito Monastero Virtuale
è soggetta alla licenza Creative Commons

"Attribuzione-NonOpereDerivate 4.0 Internazionale"

<https://creativecommons.org/licenses/by-nd/4.0/legalcode.it>



This work is owned by the Monastero Virtuale site
and is subject to the Creative Commons license
"Attribution-NoDerivates International (CC BY-ND 4.0)"
<https://creativecommons.org/licenses/by-nd/4.0/>

